

Db. 12.

QVOD BENE VERTAT

54

CHRISTI RESVR-
GENTIS FRVCTVO-
SAM VICTORIAM

SCHOLA CIZENSIS

A. D. XXVI APRILIS POST PRECES
MERIDIANAS PIE MEDITABITVR.

IN SOCIETATEM SANCTI OFFICII
HUMANISSIME ADVOCAT

M. CHRISTOPHORVS CELLARIUS
SCHOLAE RECTOR.

CIAE, Litteris HETSTEDIANIS.

ell.





Tsi multa diuinitatis Christi argumenta & demonstrationes sunt, quibus firme nostra pietas inniti, etiam convincere dissentientes potest: vix tamen efficacius ex illis inuenitur, quam quod mortis vincula dissoluit ipse met, & viuus in hanc cœli lucem ex sepulcro, tanquam mortuorum carcere, eodem die, quo futurum prædixerat, regressus est. Apostolo doctore sententiam nostram constantissime tuemur, a quo accepimus, Dauidis filium, humani generis liberatorem, ὁ εἰσένετος θεόν τε εἰς τὸν οὐρανὸν ἐξ αναστάσεως νεκρῶν, fortissime Dei filium ex mortuorum resurrectione declaratum esse. Sunt equidem non nulli, in quorum numero & Bellarminus est, qui contra obiiciunt, ὅτι δὲ non declarari vertendum esse, sed definiri tantummodo, aut etiam prædestinari: nobis autem illa nequaquam opponuntur, aut sibi vere repugnant, quum ὅτις & ὅτις definitio huiuscce omnino, philosophorum consensu, naturæ sit, vt rem, quam definit ac determinat, quanta fieri perspicuitate potest, totam illustret ac declaret. Nec noua nostra interpretatio est, sed inde a primo ecclesiæ Christianæ initio recepera

pta

pta & approbata, quippe Syrus, quo antiquior-
rem non habemus Scripturæ sanctæ interpretem,
illud apostoli verbum per ^{¶ 21} cognitus & decla-
ratus est, signanter admodum expressit. Et quid.
de verbis dubitamus, cum res ipsa luculentissime
illud ante oculos proponat? Quem enim ^{adūratu}
erat a morte ^{neglecta}, hoc est contineri aut supera-
ri, nonne recipiens vitam & ex sepulcro egressus
probavit omnibus, se eum esse, qui mortis imper-
ium habuerat, id est, Dei Filius & princeps au-
ctorque vitæ? Nulla tam firma mortis vincula
erant, quæ ipsum constringere potuerint: nulli
^{adīves fūtūs} tam vehementes, quibus impediretur,
quo minus sibi vitam restitueret. Persæpe qui-
dem oracula dicunt, Christum a Patre Deo resu-
scitatum esse, quod quamlibet non dissimile illo-
rum exemplis videatur, qui a morte in vitam re-
uocati sunt; tamen tantum a nostro abest, vt
hoc scripturæ stilo diuinitas eius obscuretur, vt
eodem potius clarissime illuminata omnes du-
bitationis errores disiiciat. Ut enim silentio
prætermittamus, non semel proditum esse, pe-
nes ipsum Christum tantum potestatis fuisse, vt
pro arbitrio deponere vitam atque reciperare e-
andem potuerit; etiam resuscitante Patre **FILI-**
VS DEI demonstratus est. Personam enim per-
ditissimi cuiusque in se suscepereat sanctissimus

Ser-

Seruator, exosus ob id Patri & detestabilis, siue,
vt diuinis litteris expressum est, ^{נָאַךְ} & ^{וְנִרְאֵה}
factus. Ne ergo dubitatio nobis supereflet, quasi
Christus non plene reconciliasset Patrem, eiusque
ardentissimam iram extinxisset; saepe numero di-
uinis scripturis significatur, Patrem ipsum mortis
vincula extoluisse, filiumque suum reduxisse in vi-
tam, vt intelligamus omnes, quae pro sceleribus
humani generis perficienda erant & persoluenda,
ita abunde a Christo praestita & persoluta esse, vt
nihil irae & indignationis diuinæ supereret. Ete-
nim qui propter scelera nostra abiectus a Deo &
ad mortis supplicium damnatus erat; propter
^{δικαιωσιν} & reconciliationem nostri resuscitatus a
mortuis est. Nisi enim per Christum conciliati Deo
essemus; eum qui nostram personam sustinebat, æ-
ternis vinculis, quibus constrictus erat, non emitti
paslus esset, multo minus ipse eum explicaslet, sed
tamdiu tenuisset vincitum & captiuum, quoad
pro singulis satisfecisset, quorum caussam vel
sanguine suo expiandam potius, quam defen-
dendam in se se suscepserat. Ex quo manifestissi-
mum est, qui difficillimam hanc personam tu-
eri potuit & Deum ita placare, vt vinculis, in
quae coniectus erat, dimitteretur; augustio-
rem humana forma esse & ipsum DEI FILIVM,
quod infinitam Dei iram sedare, & execrabile

hu-

humanum genus in gratiam reducere , nullius
potest esse , quam qui ipse infinita auctoritate
pollet , & Deo Patri æqualis existit . Hoc cum
pulcherrime probari etiam ex eo possit , quod
placatus & reconciliatus Pater Christum seque-
strum nostrum ex morte excitauit ; quis dubi-
tabit , vtroque modo , tum quo se ipse susci-
tuit , tum quo a Patre excitatus est , DEMONSTRA-
TVM ESSE DEI FILIVM ? Non possum mihi
temperare , quin lepidam historiam de Dauid
El David ex Rabbi Salomonis Ben Virga libro
Schebet Iehuda cap. xxxi in medium produ-
cam , vt ex vanissima temeritate impostoris tum
veritas Messiæ nostri , tum diuina eius gloria , vt
radius in vmbra , magis magisque eluceat . Iste
pessimus nebulonum , qui se Messiam iactitauit ,
cum omnem pæne orientem decepisset , vt si-
des sibi haberetur , tandem ad regem Persarum
iterum vocatus , (nam vinculis se se post pri-
mam caussæ dictionem custodibus corruptis li-
berauerat) quæ egisset hoc miraculo se defen-
surum esse impudentissime pollicitus est ,
שכחו ראשו ורשותו וירחיה si caput sibi amputarent , re- versurum in vitam esse. Quo facto addit auctor
ex Maimonide , mortuum illum quidem esse ,
& stolidos quosdam sectatores exspectasse , vt
ad vitam rediret ; *וערין השותה לא בא* sed adhuc

ve-

vesanum hominem non reuertisse. Scilicet tam
facilis labor est a morte gradum referre , & ad
superiorum auras in vitam regredi. Sic magna
promittere & alii ausi Pseudomessiae sunt , nihil
vero quidquam præstare potuerunt , quod veri
nominis & notæ Messiae conueniret , quæ dum
singula Noſter , non ſolum ut ipſe , ſed antiqui
vates etiam prædixerant , accuratissime præſtit
it , eo magis noſtra fides conſirmatur , vt ne
quidquam dubitare liceat , quem amplexi Red
emtorem ſumus , ipſum eſſe , qui hominum
ſaluti a Deo olim destinatus fuerat. Qui quo
plura ſufferre noſtra cauſa dignatus eſt , ante
quam ſuos noſtroſque hostes ſuperaret ; eo ar
ciori vinculo obligamur , vt victoriam eius af
fidue cogitemus & concelebremus , quia illam
non ſibi , ſed nobis retulit , nobis omnem eius
fructum proprium eſſe & ſalutarem permifit.
Quapropter laude dignum ecclſiae officium eſt ,
quo totum quinquaginta dierum tempus , quod
a paſchate numeratur , ſolenni pietate atque læ
titia exequitur , Christum canendo , laudando
que hoſtium inferorum atque mortis victorem
potentiffimum. Idem etiam ſchola noſtra
nunc vnicē ſibi commendatum habet , & cum
ſacro hoc tempore anniuersaria lūſtratio , ſereniſ
ſimis auſpiciis peracta , oratorio certamine ma
io-


iorum ritu finienda fuerit, non putauimus de alia
re verba facienda esse, quam quæ publica nobis
Christianorum lætitia suppeditat. Quod igitur
felix sit & salutare omnibus, nostros iustissimus Christi
victoriam ita indicta panegyri ex Rostris nostris
enarrare, ut primum pugnae atrocitatem describant,
deinde vitoris potentiam, tandem eiusdem beneficentiam fructusque victoriae deprædicent. Qui
tacro hoc muneri suam operam pie dicarunt, sunt
CHRISIANVS Hayn / Pegau. ABRAHAMVS SCVLTETVS, suburbanus Gleinen-
sis: & CHRISTIANVS Stiffert / nostras Citi-
censis, e quibus duo posteriores, impetrata di-
scendi venia & consensu superiorum; nostræ
scholæ vna & omnibus, quorum beneficio se ad-
fectos intelligunt, publice & rite valere dicent.
His vt frequens auditorium conciliemus, qua
fieri obseruantia & humanitate potest, studio-
rum patronos atque fautores inuitamus, simul-
que abeuntibus prosperitatem & in studiis felici-
ssimum successum adprecamur. P. P. Cizæ
VII K. L. Maias CIC 15 C LXXXVI.

Nr 3165,
S 8°

Wm

Wm

Farbkarte #13



NE VERTAT
I RESVR.
FRVCTVO-
CTORIAM
CIZENSIS
LIS POST PRECES
PIE MEDITABITVR.
SANCTI OFFICII
ME ADVOCAT
ORVS CELLARIVS
RECTOR.
IS HETSTEDIANIS.

ell.